



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Verbo Dei Libri Tres

Helm, Heinrich

Coloniae, 1560

VD16 H 1736

Euangelion primum hoc fuit, Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30114

omnium q̄ ipsos vindicaret de inimicorū manibus, & redimeret de oibus iniquitatibus eorū: Deleret item mortis cyrographū, & diabolum traduceret triumpharetq; in semetipso. Inimicitias, inquit ad serpentem, qui matrē cūctorum viuentium seduxit in prauaricationē, ponam in te & mulierem: Inter semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum: vel, vt alij legunt: Ipse conteret & Ipsa hoc fecit, inchoando, ipse salutem nostram operando in medio terræ, & consummando. Ipsa consensum dando verbis angeli Gabrielis, ipse, patri obediendo vsq; ad mortem turpissimam crucis. Fides autem ista & spes (quæ nō confundit, quamuis afflixerit animas electorum dum differabatur) mediatoris dei & hominum, filijs per narrationem parentum à progenie in progenies manifestata fuit. Qui dum longo viuente tempore pondus diei & ætus portarent, multis generationibus promissam dei misericordiam potuerunt reuelare, vt ponerent in Deum spem suam.

Gene. 3.

Psal. 129.

Col. 2.

1. Tim. 2.

Gen. 3.

Psal. 73.

Luc. 1.

Phil. 2.

Rom. 5.

Esal. 77.

Deut. 32.

Psal. 77.

Euangelion primum hoc fuit, Cap. XX.

O viscera misericordiæ. O abyssus bonitatis. O ineffabilis dilectio charitatis dei nostri: Qui in ira sua nō potuit continere misericordias suas. Verè, tu es suavis in misericordia & mitis: præstabilis super malitia, et multus ad ignoscendum. Mox namq; vt homo te offendit, seductorem cōdigno multasti supplicio, & decepto homini (quamuis suum meruerat exterminium, & æternæ mortis supplicium) tam benignè fecisti in bona voluntate tua, q̄ vindicatoris ei pmisisti beneficium. Hoc primum fuit euangelium, omni consolatione plenum, & omni acceptance dignissimum. Ipsa, vel ipse, conteret caput tuum. Ipse domum tuam intrabit, te vincet & vinciet, arma tua diripiet et spolia distribuet, teque foras eijciet. In verbo, isto,

A

Psal. 76.

Psal. 85.

Gen. 3.

Psal. 50.

1. Tim. 1.

Matt. 12.

Luc. 11.

Ioan. 12.

Q 3 tardo

Galat. 3.

cardo fidei nostre sita est & breuibus comprehensa. Is scopus est totius euangelicæ doctrinæ. Et quid aliud lex, pedagogus noster in Christum: Quid psalmi: quid propheta aliud promittunt, quàm huius promissionis impletionem perficiendam per Christum? Vnde huius promissionis resolutio, est fidei nostre declaratio, & euangelij ab euangelistis descripti comprehensio.

Arcano alloquio Deus hominem consolatus est
ab initio. Cap. XXI.

Psal. 84.

Phil. 4.

Eph. 2.

Osee 2.

Iob 4.

Matt. 6.

Cant. 6.

Matt. 21.

Prou. 1.

Rom. 8.

Eph. 2.

Cant. 5.

Apo. 3.

Addidit benignitas diuina & alios modos, quibus circumuentum hominē in benedictionibus dulcedinis præuenit & mœstum demulsit, & lapsum erexit in spem, nepe, arcano alloquio mentis interno. De quo Dauid ait: Audiam quid loquatur in me dominus deus: quoniam loquetur pacem suam in plebem suam. Illam pacem, quæ exuperat om̄em sensum: quæ est Christus Iesus omnia pacificans, siue quæ in cælis, siue quæ sunt in terris. Et alibi: Ducam eam in solitudinē, & ibi loquar ad cor eius. Hoc est verbum absconditum & vena fufurrij eius quod quasi furtiuę suscipit auris illius, qui patrē orat in abscondito, clauso super se sensuum externorum ostio. Hoc modo, Deus misericors & miserator, semper ad corda loquitur, semper clamat, Reuerte, Reuerte sinamitis. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et iterum: Conuertimini ad correptionem meam: Quousque paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ noxia sunt cupitis? Quicumque sic spiritu Dei aguntur, illuminantur, reguntur, & instinctus eius sequuntur habenas: hi filij Dei, uasa in honorem & misericordiæ, ciues sanctorum sunt & domestici Dei. At, multi dum vocem pulsantis spiritus sancti, ad ostium cordis audiunt, & inuitantis amici, ob-